

Hoc est translatum fideliter sumptum a quodam instrumento per alfabetum diuiso cuius tenor talis est. Sit notum cunctis quod ego Poncius de Ceruaria dono tibi Iosiane filie Poncii Ugonis comitis Impuriarum et Petro filio meo qui te ducturus est in uxorem omnem honorem meum et omnia iura mea quecumque habeo et habere debeo uel inantea habuero in Gerundensi episcopatu preter Castrum Foliti et molendinos qui ibi sunt et laboraciones hominum circa castrum predictum et uineam quam laboro ad dominium, quod castrum cum predictis retineo tantum ex uita mea, et preter Mailanum et Uilademires. Predicta omnia sicut superius scripta sunt, dono ego Poncius de Ceruaria tibi predicte Iosiane donacione propter nupcias et filio meo Petro te ducturo in uxorem, ita quod insimul habeatis et teneatis dum uixeritis, post mortem uestram infantes uestri. Quod si forte Petrus dictus premortuus fuerit absque liberis ex te susceptis, habeas predicta omnia in uita tua; post mortem tuam reuertantur mihi uel meis. Item ego Poncius de Ceruaria obligo tibi Iosiane dicte predicta omnia pro decem milibus solidorum barchinonensium quos pro dote pater tuus Poncius Ugonis comes tibi donat et ego recepisse fateor, et si maneta fuerit mutata uel peiorata ex ualore in quo nunc est, pro predictis denariis restituantur tibi morabatini barbarogini boni auri et recti pensi ad computum .VII. solidorum prefate monete; Et ego Poncius Ugonis Impuriarum comes dono tibi Iosiane filie mee et Petra de Ceruaria quam ductura es in uxorem predictos decem milia solidorum in dotem, ita quod habeatis et teneatis dum uixeritis, post mortem uestram infantes uestri; et si forte Iosiana filia mea premortua fuerit absque liberis, de predictis denariis habeat Petrus de Ceruaria ad uoluntatem suam tria milia solidorum; alii restituantur mihi uel meis. Predicta omnia et quidquid habeo et habere debeo et inantea habiturus sum in episcopatu Gerundensi et in comitatu Bisuldunensi, kastra scilicet, tenedones, alodia, feudos, baiulias, empciones uel cuiuscumque generis sint adquisiciones, dono ego Poncius de Ceruaria uobis predictis Iosiane et Petra sub predictis condicionibus, et etiam obligo tibi Poncio Ugonis comiti pro septem milibus solidorum, si forte filia tua Iosiana ante Petrum obierit sine infante sicut dictum est, nec Petrus habeat licentiam filius meus recedendi a me dum uixera, sed sit semper sub potestate mea. Actum est hoc .XIIII. kalendas decembris anno. Christi Incarnacionis .MCXCIIII +Poncii Ugo comes. Sig+num Ponci de Ceruaria, qui hoc firmo firmarique rogo. Sig+num Arnalli de Salis. Sig+num Raimundi Ademarii. Sig+num Arnalli de Lercio. Sig+num Ademarii de Impuriis. Sig+num Arnalli de Fabariis. Sig+num Guilielmi de Salis. Sig+num Raimundi de Carteyano. Sig+num Guilielmi Segui ni. Sig+num Segui ni. Sig+num Otonis. Sig+num Arnalli de Monteacuto. Sig+num Raimundi de Cassano. Berengarius, sacrista Castilioni s, subscribo. Laurencius Ieuita, qui hoc rogatus scripsit. Sig+num Iohannis de Porchariis, qui hoc .vii. idus septembris anno Domini millesimo .ccL. quinto fideliter translataui mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius et iudex ordinarius damni regis, qui hoc translatum cum autentico mani feste probaui, subscribo.

Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 144-145